



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

Disputatio XII. De causa instituyente sacramenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

De causa instituentis sacramenta.



Voniam sacramenta non sunt res, aut signa mere naturalia, sed ex impositione pendunt: ideo duplicem causam requirunt, alteram quodammodo remotam & primam, quae illa ad significandum imponat, & consequenter eorum essentiam seu essentialia principia instituat. Alteram proximè efficientem, & applicantem sacramentum. De priori egit Divus Thomas in his articulis, de posteriori vero in sequentibus, quorum materiam in seq. disp. comprehendemus. Nunc de priori causa duo breviter tractanda sunt: prima de facto, quae fuerit. Deinde de possibili, quae potuerit esse causa institutionis sacramentorum.

SECTIO I.

Utrum omnia sacramenta fuerint à Deo, vel à Christo Domino immediate instituta.

Prima sententia est hereticorum huius temporis, qui solam duo sacramenta dicunt esse à Christo instituta: quia de his tantum exiit manifestè mentionem in Scriptura: & reliqua, quae in Scriptura non sunt expressè, vocat traditiones humanas. Sed si quis rectè consideret, illi non negant, Christum instituisse omnia sacramenta, quae in lege noua esse existant, sed errant circa numerum sacramentorum. Contra quorum errorem q. 65, disputandum est.

Secunda sententia est quorundam Catholicorum, qui negant, Christum immediate instituisse omnia sacramenta, praesertim Confirmationem, & Extremam unctionem. Sed quia huiusmodi opiniones commodius tractabuntur, disputando de singulis sacramentis, ideo nunc illis praetermissis, breuiter est adhibenda veritas. Et prius dicemus de sacramentis nouae legis, postea de reliquis.

Dico primo. Christus Dominus immediate ac per se ipsum instituit omnia sacramenta nouae legis. Conclufio est omnino certa ex definitione Concilij Trident. sess. 7. canon. 1. ubi sic inquit. Si quis dixerit sacramenta nouae legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit. Vbi praetermisit Concilium illam particulam, immediate, & per se ipsum, & ideo non dixi absolute, conclusionem esse de fide, tamen hanc fuisse Concilij mentem vix potest dubitari. Primo ex proprietate sermonis. Nam quae Christus immediate non praecipit, etiam si ab Ecclesia praecipiantur per potestatem ab ipso acceptam, non dicuntur esse praecipita à Christo, sed ab Ecclesia: ergo eadem ratione si non Christus immediate, sed Ecclesia per potestatem ab ipso acceptam, instituerit vel omnia, vel aliqua sacramenta, non posset proprie ac vere simpliciter dici, omnia sacramenta esse à Christo instituta. Cum ergo Concilium hoc absolute doceat, plane loquitur de immediata institutione. Secundo, quia idem Concilium eadem sessione, canone decimo tertio, longe aliter loquitur de caeremonijs, seu ritibus sacramentalibus, qui in solemnibus sacramentorum administratione adhiberi solent, quos ab Ecclesia approbatos esse dicit, & consuetudine receptos, sentiens huiusmodi ritus esse ab Ecclesia approbatos & institutos per potestatem à Christo acceptam, ut expressè dixit sessione 21. capite secundo: ergo sentit, sacramenta non hoc modo, sed immediate fuisse à Christo instituta. Propter hanc enim causam longe aliter de sacramentis, quam de sacramentalibus loquitur. Quod egregie confirmari potest ex illo capite sessionis vigesimae primae, ubi ait, Perpetuo fuisse in Ecclesia potestatem,

communicabilis non esset. et otuit ergo suam potestatem Christus ministris communicare.

Art. preced. Respondeo dicendum, quod sicut dictum est. * Christus in sacramentis habuit duplicem potestatem. Vnam auctoritatis, quae competit esse secundum quod Deus, & talis potestas nulli creatura potuit communicari, sicut nec diuina essentia. Aliam potestatem habuit excellentiam, quae competi ei secundum quod homo. Et talem potestatem potuit ministris communicare, dando scilicet eis tantam gratiam plenitudinem, ut eorum meritum operaretur ad sacramentorum effectus, ut ad invocationem nominum ipsorum sanctificarentur sacramenta, & ut ipsi possent sacramenta institueri. & sine ritibus sacramentorum effectum sacramentorum conferre solo imperio. Potest enim instrumentum conuenit quantum fuerit fortius, tanto magis virtutem suam instrumentum separat tribuere, sicut manus baculo.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus non ex inuidia praeremissi potestatem excellentiam ecclesiae ministris communicare, sed propter fidelium utilitatem, ne in hominem spem ponerent, & ne essent diuersa sacramenta. Ex quibus diuisio in Ecclesia oriretur: sicut apud illos, qui dicebant, Ego sum Paulus, ego autem Cephas, ego vero &c. vt dicitur prima ad Corinthios. 1.

Ad secundum dicendum, quod obiectio illa pro edita de potestate auctoritatis, quae conuenit Christo secundum quod est Deus, licet & potestas excellentiam possit auctoritas nominari, per comparationem ad alios ministros. Vnde super illud prima ad Corinthios. 1. Diuisus est Christus dicit glossa. * quod potuit eis dare auctoritatem Baptismi, quibus contulit ministerium.

Glossa ord. ib.

Ad tertium dicendum, quod ad hoc inueniens eritandum, ne scilicet multa capita in Ecclesia essent, Christus noluit potestatem suam excellentiam ministris communicare. Si tamen communicasset, ipse esset caput principaliter, alij vero secundario.

COMMENTARIVS.

Hanc quaestionem tetigimus etiam loco supra citato: & iterum in sequenti disputatione eam attingemus, nunc, quod ad litteram Diui Thomae attinet, solum occurrit considerandum, quod D. Thom. respondeat secundo argumento, quod in hunc modum proposuerat. Maius est iustificare impium, quam creare caelum, & terram, sed Christus non potuit communicare ministris, quod crearent caelum & terram: ergo nec quod iustificarent impium. Respondet autem, argumentum hoc procedere de potestate auctoritatis, quae conuenit Christo secundum quod est Deus. Quae solutio non videtur euacuare totam argumenti difficultatem. Nam eadem proportione vrgeri potest argumentum: quia maius est iustificare, quam creare, sed potestas instrumentalis creandi non potest communicari: ergo nec potestas instrumentalis iustificandi. Cui argumento, si vera sunt quae supra diximus, facile responderi potest, negando Minorem: sed iuxta mentem D. Tho. dicendum videtur, maiorem propositionem intelligendam esse de potestate iustificandi per propriam auctoritatem, non vero de potestate instrumentaria. Et ratio reddi potest, quia licet creatio & iustificatio aequali potentiam requirant in principali operante: iustificatio tamen est opus maioris misericordiae, vt Aug. dixit, tract. 72. in Ioan. At quia in causa instrumentaria non reperitur hic excessus respectu iustificationis, & aliunde creationis opus (iuxta hanc sententiam) habet specialem difficultatem propter modum, quo fit ex nihilo & sine concursu subiecti: sed de hoc alias.

Quam vim habeat solutio D. Th.

tem, vt in sacramentorum dispensatione, salua illorum substantia, possit ea mutare, vel mutare, quæ suscipientium vtilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret. In quibus verbis illud maxime ponderandum est, Salua illorum substantia, quo aperte docet Concilium, Ecclesiam nullam habere potestatem ad mutandam substantiam sacramentorum, vt pote, quod non fuerint ab ea proxime instituta: neq; in ea vllam potestatem accepit. Supponit ergo, Christum ipsum tradidisse Ecclesie sacramentorum substantiam, eamq; immutabilem esse voluisse. Hoc autem ipsum fuit, sacramenta immediate instituire. Denique de institutione sacramentorum, quod fuerit à Christo mediate vel immediate, nullum erat dubium, neq; aliquis vnquam negauit, omnia sacramenta esse à Christo instituta alterutro ex dictis modis. Quod ergo ab aliquibus reuocabatur in dubium, neq; scilicet omnia essent à Christo immediate instituta, voluit docere Concilium. Et ideo inferius sessione 24. can. 1. de Extrema vntione, de qua maxime dubitari poterat, definit, illam esse à Christo institutam, & à Sancto Iacobo promulgatam. Qua distributione satis declarat, se loqui de immediata institutione.

Secundo, hæc definitio Concilij habet fundamentum in Scriptura, in qua institutione duorum sacramentorum à Christo traditas clare & expresse habemus, scilicet Baptismi, & Eucharistie. Matth. 26. & 28. de duobus vero alijs, scilicet Penitentia, & Ordine. Quamuis non sit tam aperta materia & formæ expressio, tamen de Penitentia satis significata est illis verbis Ioan. 20. Quorum remisistis peccata, remittuntur eis. De Ordine vero in illis. Hoc facite. Matth. 26. & ex his à paritate rationis intelligimus, reliqua omnia, quæ sunt vera, ac propria sacramenta, eodem modo esse à Christo instituta. Quamuis eorum institutio scripta expresse non sit, quia ex traditione Ecclesie habemus in hoc omnia sacramenta esse æqualia, atque omnia pertinere ad Ecclesie fundamenta, quæ immutabilia esse oportuit. Et confirmatur, quia si aliquis præter Christum potest existimari institutor alicuius sacramenti, maxime Apostoli: sed Apostoli in Scriptura non dicuntur institutores, sed dispensatores sacramentorum, & ministri Christi, ad Corinth. 3. Quid est Paulus? Quid vero Apollos? Ministri sunt eius, cui credidistis, & cap. 4. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi: & dispensatores mysteriorum Dei. 1. Pet. 4. Sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei.

Tertio, ex Patribus, Ambros. 4. de sacramen. cap. 4. Author sacramentorum quis est, nisi Dominus Iesus? Augustinus Epist. 118. c. 1. Primum (inquit) tenere te volo Dominum nostrum Iesum Christum leni iugo suo nos subdidisse, & sarcinæ leui. Vnde sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est Baptismus Trinitatis nomine consecratus, communicatio corporis & sanguinis ipsius: & si quid aliud in scripturis canonicis commendatur. Quæ vltima verba cum debito moderamine interpretanda sunt. Videtur n. eis August. significare, solum ea sacramenta esse à Christo instituta, quæ in Scriptura continentur. Et difficultatem augent verba, quæ paulo post subdit: Illa autem, quæ non scripta sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruatur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima authoritas, commendata, atque flatuta recineri. Hæc vero vltima verba in primis non sunt intelligenda de sacramentis, nulla enim sunt (vt dixi) ab Apostolis, vel Concilijs instituta, sed de alijs quibusdam ceremonijs, quas vniuersa seruat Ecclesia, vt sunt celebratio Paschatis, & alia similes, in quibus August. ponit exemplum. Deinde non est

Franco. Suarez Tom. 3.

vniuersaliter intelligendum, omnia, quæ in Scriptura sacra non continentur, esse ab hominibus instituta: & non immediate à Christo: nam aliqua potuerunt Apostoli ab ipsius Christi ore accipere, & Ecclesie tradere: etiam si scripta non sint, docuit hoc loco D. Thom. art. 2. ad 1. dicens, omnia, quæ sunt de necessitate sacramentorum, esse à Christo instituta, & licet non sint omnia tradita in scripturis, ea tamen habere Ecclesiam ex familiaris Apostolorum traditione. Quod ideo D. Tho. dixit, quia, licet omnia sacramenta habeant in Scriptura aliquod fundamentum, non tamen omnium institutio est ibi sufficienter expressa, seclusa traditione.

Dices, si ea, quæ traditione habentur, interdum creduntur manasse immediate à Christo, interdum vero ab Apostolis, vel Ecclesia, quomodo iudicare possumus, quando traditio est prioris generis, aut posterioris? nam ex sola antiquitate discerni non possunt. Quamquam n. August. lib. 4. de Baptismo, c. 24. dicat, Quod vniuersa tenet Ecclesia, nec à concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur, licet (inquam) hoc verum sit, fieri tamen potest, vt hæc nitantur autoritate Apostolica, aut tamquam promulgante Christi voluntatem & institutionem, aut tamquam influente & ordinante. Et in hoc diiudicando magna est difficultas. Quia ex sola antiquitate, vt dixi, discerni non potest. Et ideo obseruanda primo est materia traditionis. Nam si pertineat ad substantialia fundamenta fidei seu Ecclesie, signum est ab ipso Christo manasse immediate, quia solus ipse est author fidei & Ecclesie: & huiusmodi est traditio, de qua nunc agimus. Deinde ipsamet traditio consulenda est: ipsa n. seipsam manifestat, qualis sit, quia nimirum simul tradit, & docet suam originem. Vt in presenti non solum ex traditione habemus sacramenta, sed etiam eorum originem, scilicet Christi institutionem. Deniq; Ecclesie autoritate, & definitione, seu communi consensu de origine vnuscuiusq; traditionis iudicandum est. Atq; in hunc modum exponendus etiam est alius locus Augustini lib. 3. de Doctrin. Christ. c. 9. vbi agens de sacramentis nouæ legis, inquit: Quædam pauca pro multis, eademq; factu facillima, & intellectu augustissima, & obseruatione castissima, ipse Dominus, & Apostolica tradidit disciplina. Intelligit enim Dominum tradidisse, vt eorum authorem, Apostolos vero, vt promulgatores. Est etiã alius locus non facilis apud Cyprian. qui in eundem sensum trahi, ac pie exponi debet. Nā in serm. de lotionem pedum, postquam de Eucharistie sacramento rectissime dixit, & author, subdit deinde. In cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem, & sicut par est Spiritui sancto & Christo diuinitas, ita in suis institutis æquæ est autoritas, & potestas, nec minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto, Apostoli tradiderunt, quod ipse tradidit, & in sui commemorationem præcepit. Qui locus primum ita potest exponi: vt licet in illis primis verbis: Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & author, in singulari de sacramento loquatur, non tamen de vno definito, sed de quolibet: atq; adeo de omnibus sacramentis nouæ legis: nam ibidem plane docet, Baptismum, Penitentiam, & alia esse à Christo instituta. Cui ergo subdit. Reliqua tradita esse ab hominibus. Spiritu sancto dictante, nõ intelligit de sacramentis, sed de alijs ritibus, & ceremonijs. Vel si aliqua est constituenda differentia inter Eucharistiam & alia sacramenta, nõ est ponenda in institutione, seu materie & formæ designatione, sed in promulgatione, & vsu. Nam sacramentum Eucharistie, non solum per se instituitur, sed etiã per se conficere Christus voluit, quod in nullo alio sacramento fecisse constat. Nam, licet probabile sit, aliquos per se ipsum baptizasse, id tamen in Scriptura non legitur. &

tur: & quamvis etiam Apostolos Sacerdotes ordinaverit, non tamen proprie conferendo sacramentum, sed percellente potestate illis verbis, Hoc facite, &c. & illis, Accipite Spiritum sanctum, quorum remissionis peccata remittuntur eis. Fuit etiam in hoc singulare Eucharistiae sacramentum, quod non solum Christus tradidit, sed etiam accepit. Denique aduertit recte D. Tho. in 4. dist. 23. quaest. 1. art. 4. quæstionum. 3. ad primum & secundum, in Scriptura explicatus tradita esse quædam sacramenta, quæ sunt præcipua: & magis necessaria: alia vero per Apostolos fuisse tradita, quæ à Christo fuerint et instituta: & ibidem pie exponit Catholicos auctores dicentes, quædam sacramenta esse ex institutione Apostolorum, quæ per institutionem intelligant promulgationem.

Quarto, afferre possumus rationes & congruentias: ob quas Christus hanc institutionem sacramentorum sibi soli referuauit. Primo, quia hæc institutio pertinet ad quamdam excellentiæ potestatem, quam decuit soli humanitati Christi communicari propter singularem eius dignitatem, & excellens meritum. Nunc non agimus, an hæc potestas alijs hominibus communicari potuerit: & ideo non vtimur rationibus sumptis ex rei possibilitate, sed ex decencia. Secundum indicat D. Tho. hic art. 4. ad 1. dicens, Christum per se solum instituisse sacramenta propter fidelium utilitatem, ne in homine spem ponerent. Vnde, sicut fides Christi Dei hominis est necessaria ad salutem, & in lege noua oportet, ut sit explicita, ita etiam decuit, ipsum esse auctorem sacramentorum, in quibus fit huius fidei professio, & per quæ applicatur hominibus gratia, & iusticia propter merita Christi. Tertiam addit D. Tho. eodem loco, scilicet, ne varia sacramenta multiplicarentur, ex quo facile nasci poterant diuisiones, & schismata in Ecclesia. Quartam addit ibid. solut. ad 3. quia solus Christus est caput Ecclesie, cuiusq; institutor & auctor, & ideo ad eum pertinuit illius iacere fundamenta, & dare sensibilia signa, quibus homines in hac Ecclesia congregarentur, & ab alijs congregationibus secernerentur. Nam licet sacramenta sola non sufficiant ad discernendam Ecclesiam, & ad veritatem & unitatem eius iudicandam, nisi simul alia concurrant, præsertim coniunctio cum Christi Vicario in terris per fidem & obedientiam, sunt tamen vnum ex præcipuis signis & maxime necessarijs ad fideles in vno corpore Ecclesie congregandos, ut August. dixit 19. contra Faull. c. 11. & ideo fuit valde conueniens per Christum immediate tradi.

Sacramenta veteris legis omnia à Deo immediate instituta

Dico secundo, Sacramenta veteris legis omnia fuere ab ipso Deo immediate instituta. Conclusio est certa, nam de circumcisione constat ex Genes. 17. de reliquis vero ex toto Exodo, & Leuitico. Nam sicut illa lex diuina fuit, ita sacrificia, & sacramenta eius ab ipso Deo sunt tradita. Nam quod Io. 1. dicitur, lex per Moysen data est, intelligitur tamq; per ministrum, & promulgatorẽ tantum: & ideo semper in Exodo Leuitico præmittitur, Dixit Dominus ad Moysen, & eadẽ ratione non refert, quod per angelos data fuerint illa sacramenta, sicut et per eos data fuit illa lex, teste Paulo, quia etiam ipsi non erant nisi ministri & legati, per quos Deus suam voluntatem ostendebat. Institutio ergo ipsa diuina fuit, solumq; Deum habuit proprium auctorem. Ratio huius assertionis præcipua est, quia Deus voluit lege, ac caeremonijs à seipso latis, populum illum singulariter sibi coniungere, & à ritu gentium segregari. Deinde, quia quod ad circumcissionem attinet, cum in ea data esset gratia ad remittendum originale peccatum, necessaria erat auctoritas, & promissio diuina: quod vero spectat ad alia sacramenta illius legis, quamuis hoc sensu vacua essent, quod in eis non daretur gratia præter meritum suscipientium, erant tamen quodam modo grauia mysteriorum & sacramentorum nouæ legis, quæ in illis præfigurabantur, & præmittebantur: & ideo et-

iam in illorum institutione erat necessaria diuina sapientia, & auctoritas illa quæ futura mysteria cognosceret & accomodatis signis posset iudicare hæc, quæ potestate haberet et promittere talia mysteria, & gratiam per sacramenta legis nouæ conferendam.

Dices, Ergo quoad institutionem & auctorem eius fuerunt digniora vetera illa sacramenta quam noua, quia illa tradita sunt à Deo, ut Deus est per diuinitatem: hæc vero à Christo homine per humanitatem: Respondetur negando consequentiam, quia, licet Christus per humanitatem instituerit nostra sacramenta, hoc tamen non excludit, quin prima & principalis causa & ratio huius institutionis fuerit voluntas diuina, ad quam Christus ut homo, suam humanam voluntatem conformabat: atq; ita in hoc est quædam æqualitas inter vetera & noua sacramenta: in hoc autem nostra superant, quod illa per purum hominem immediate data sunt: hæc vero per hominem Deum. Item, quod circa illorum institutionem, nullam potestatem, vel auctoritatem habuit ille homo, per quem à Deo data sunt, sed nudum ministerium promulgandi voluntatem diuinam, in nostris vero sacramentis instituentis simul cum diuina voluntate & auctoritate, intercessit voluntas Christi hominis, qui etiam ut homo, id est, in humanitate sua habuit potestatem excellentiæ, quæ, sicut potest leges ferre, & gratiam dare, ita etiam sacramenta potuit instituire, & gratiam per eam dandam promittere, & ad ea suscipienda obligare. Quod quidem pertinet ad dignitatem humanitatis assumptæ, & sacramentorum dignitatem non minuit, sicut, quod nunc detur gratia per sacramenta, pertinet ad ipsorum sacramentorum dignitatem, nihil minuit de perfectione & dignitate ipsius gratiæ, cum semper principalis eius auctor sit Deus.

Excellentia institutionis veteris sacramenti

Dico tertio, Etiam sacramentum legis nature fuit ab ipso Deo immediate institutum. Contra hanc assertionem videtur scribere So. in quarto, distinctione quinta, quæstione prima, articulo secundo, qui in hoc ponit differentiam inter legem nature, & veterem ac nouam, quod in his sunt sacramenta à Deo instituta, non vero in illa. Quia sacramenta (inquit) illius legis, neque habebant virtutem conferendæ gratiæ, nisi implicite & valde obscure. Sed ipse procedit in ea sententia, quæ negat fuisse in ea lege institutum externum ac sensibile remedium originale peccati, tamen supponendo, ut supra docuimus, fuisse in ea lege aliquod sacramentum, in quo dabatur gratia & debebatur originale peccatum, necessario dicendum est, illud manasse ex diuina institutione, quia nullus poterat talem medicinam adhibere peccato originali, nec gratiam sub tali signo promittere, nisi solus Deus, vel ex commissione eius: non potest autem apparenti aliquo fundamento dici hoc fuisse alicui homini commissum: nam si hoc in lege veteri, & noua factum non est, nec fieri decuit, multo minus in lege nature fieri oportebat. Dices, Tunc non fuit à Deo determinatum aliquod signum, sed voluntate humana determinabatur: & verisimile est, ut supra dixi, fuisse tunc potestatem in fidei re publica definendi huiusmodi signum seu caeremoniam, & obligandi fideles ad vtendum illo signo, & non alio: ergo institutio talis signi erat humana, & non diuina. Respondetur, argumentum solum concludere, institutionem Dei, non fuisse eiusdem modi, cuius fuit in lege veteri, vel noua: non tamen quod non fuerit diuina institutio, Deus n. voluit & instituit, ut signo aliquo sensibili applicaretur remedium originale peccati per externam fidei professionem, & applicationem, in qua gratia daretur: hoc n. non fuit inuentum humanum, sed diuinum. Liberum autem reliquit hominibus, ut hoc, vel illo signo vterentur. Vnde solum fit, determinationem signi fuisse ex voluntate humana, vel priuata, vel publica: non tamen ipsam sacramenti institutionem.

Immediata sacramenti legis nature auctoritas fuit Deus.

Obedi.

Responso



Utrum potuerint sacramenta ab alio, quam à Deo institui.

Ratio dubitandi esse potest, quia verum ac proprium sacramentum (de quo solum agimus) oportet ut sit certum, atque infallibile signum gratiæ, vel præsentis, vel saltem futuræ: sed nullus potest imponere signum certum gratiæ, nisi Deus, quia solus ipse potest eam dare aut promittere, ergo solus ipse potest sacramenta instituire.

Propter hanc rationem nonnulli Theologi absolute negant, potuisse Deum communicare creaturæ facultatem instituendi sacramenta. Ita sentit Scot. in 4. d. 1. qu. 3. art. 2. Gabr. q. 2. art. 2. dub. 2. Durand. d. 2. quæstio. 1. Quod si obiciatur, posse Deum committere voluntati alicuius hominis, ut suo arbitrio instituat, & promittat gratiam dandam sub aliquibus signis sensibilibus, quæ ipse arbitrio suo designauerit. Respondent, etiam si hoc faciat Deus, semper tamè huiusmodi gratiæ effectum pèdere ex diuina voluntate: & ideo, etiam si id fiat, non dari homini potestatem ad instituenda sacramenta, sed tàm ad determinandum signum, ad cuius præsentiam Deus vult dare gratiam, vel illam aliquando dandam promittere. Quod magis explicat Scotus in 4. dist. 2. quæsti. 1. Ex his, quia solus Deus determinat se ad causandum effectum sibi proprium, quia, si posset ab alio determinari, iam esset causa secunda respectu eius: effectus autem gratiæ, quem sacramenta significant, est proprius solius Dei: ergo solus ille potest se determinare ad causandum talem effectum, atque adeo à sola diuina voluntate possunt fieri certa aut efficacia signa gratiæ. Quæ ratio si quam habet efficaciam, eodem modo procedit in Christo, quoad humanam eius voluntatem, atque ita eodem modo de illa sentit ac loquitur Scotus.

Non quidem primaria, ac delegata potestatis sacramenti, sed de communi caræ potestatis puro hominis.

Sed quâvis fortasse quæstio sit de modo loquendi, dicendum simpliciter est, potuisse Deum dare puro homini auctoritatem instituendi sacramenta, non quidem primariam, ac principalem, hæc enim incommunicabilis est, sed ministerialem, & quasi delegatam. Hæc est sententia Diui Thome. 4. quem sequuntur omnes Thomistæ, & idem tenet Richard. in 4. dist. 5. art. 1. qu. 3. & ibi Bonauent. artic. 3. quæsti. 1. & videtur sententia Augustini tractat. 5. in Ioannem dicentis, Potuit autem Dominus noster Iesus Christus, si vellet, dare potestatem alicui seruo suo, ut daret Baptismum suum tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare Baptismo translato in seruum, quantum vim haberet Baptismus datus à Domino. Ex quibus verbis ratione declaratur hæc sententia: quia in primis certum est, nullam creaturam posse vi ac potestate sua naturali instituere sacramenta, quæ sint causæ efficaces gratiæ, aut infallibilia signa illius, nisi supposita diuina promissione, vel specialiter, vel generaliter facta tali creaturæ conferendi gratiæ, vel auxilium necessarium ad illam, per quodcumque signum arbitrio, & voluntate talis creaturæ, ad hunc effectum, vel significationem deputatum, quia nulla voluntas creata, ex se potest esse sufficiens causa gratiæ, nec potest per se determinare voluntatem diuinam, ut efficiat gratiam per signum sensibile seu ad præsentiam eius, cum nec talis effectus vel concursus sit per se debitus creaturæ, nec voluntas creata ex se possit habere hanc connaturalem vim, ut hominem faciat participem diuinæ naturæ: necesse est ergo, ut certitudo talis significationis vel effectus habeat primam originem seu fundamentum in diuina voluntate & promissione. Et hoc sensu diximus, non posse communicari creaturæ primariam auctoritatem instituendi sacramenta, & hoc probat fundamentum primæ opinionis: & re ipsa nihil aliud docent auctores.

Franc. Suarez. Tom. 3.

res illius. Hoc tamen non obstante certum etiam est, posse Deum facere liberam facultatem alicui puræ creaturæ intellectuæ, vel rationali (inferiores enim non sunt capaces, ut per se constat) ut suo arbitrio conferat aliis gratiam eo modo, quo voluerit, vel per solum actum internum suæ voluntatis, vel per externum contractum aut verbum, vel per aliquod aliud sensibile signum, ad eum modum, quo communicata est humanitati Christi potestas faciendi miracula, & dandi gratiam, ut latè diximus in primo tomo, disputatione 31. quia nulla est per se loquendo maior repugnantia in communicanda hac potestate supposito creato, quam naturæ creatæ. Quo sensu diximus in eodem primo tomo, disputatione 47. sect. 1. seclusa ratione meriti & sanctificationis de rigore iustitiæ, posse communicari puræ creaturæ potestatem excellentiæ conferendi gratiæ. Ex quo manifeste sequitur posse communicare eidem creaturæ, ut suo arbitrio designet externos actus vel ceremonias, per quas vel ad quarum præsentiam infallibiliter detur gratia: quia nulla est in hoc maior repugnantia, neque potest aliqua probabilis excogitari. Unde nec Scotus nec alij authores hoc negant.

Facultas alicui gratia conferenda communicabilis est.

Ex his autem tandem concluditur, potestatem instituendi sacramenta esse communicabilem creaturæ. Patet, quia hæc potestas, qualis à nobis explicata est, esset potestas instituendi sacramenta: & tamen ostensum est, illam esse communicabilem. Maior patet, quia institutio sacramenti nihil aliud est, quam impositio talis rei, vel actionis sensibilibus, ut sit certum signum, & infallibile gratiæ, sed potestas explicata, est potestas ad huiusmodi actum. Nam qui illam haberet, vere imposeret illam rem ad significandam gratiam. Sed ait Scotus, impositionem ut factâ à tali homine non esse institutionem sacramenti: sed solum determinationem signi, qualis erat in sacramento legis naturæ, ut supra diximus. Et ratio est, quia licet tunc voluntas creata determinaret signum, non tamè daret illi veritatem & certitudinem significationis, sed hæc haberet ex voluntate & promissione diuina, sacramentum autem esse debet signum certum & infallibile, & ideo institutio eius non tantum requirit determinationem signi, sed etiam efficaciam, seu certitudinem significationis, & propter hanc rationem quâvis Scotus re ipsa nihil diuersum à nobis doceat, tamen in modo loquendi differt, & negat, in eo casu committi creaturæ institutionem sacramenti, sed tantum determinationem signi: Et confirmatur, quia alias in lege naturæ, qui determinabat ceremoniam sensibilem, quia iustificandus erat paruulus essent faceramenti institutores, quod est aperte falsum: Respondetur tamen, verum quidem esse sacramentum debere esse signum certum & infallibile, quantum est in se, & consequenter etiam admitto, institutionem sacramenti non tantum includere impositionem signi, sed etiam efficaciam seu certitudinem significationis eius. Quapropter necesse etiam est, ut is qui futurus est potens ad instituenda sacramenta, possit non tantum imponere signum, sed etiam dare illi certitudinem, quatenus habere potest in sua potestate, ut infallibiliter detur gratia, quando, & quomodo ipse voluerit. Dico tamen, hanc potestatem posse committi creaturæ, ut paulo superius declaravi. Neque enim necessarium est, ut in eo qui instituit hoc sacramentum, sit hæc potestas omnino independens à superiori voluntate, & quasi in primo auctore gratiæ, sed satis est, quod tota efficacia sacramenti pondeat ex voluntate talis creaturæ instituentis huiusmodi signum, quia hæc potestas, quam dicimus communicari posse creaturæ, ad instituendum sacramentum non est primaria, sed secunda, & delegata: ergo ad illam satis est, ut effectus gratiæ sit etiam positus in voluntate eius, saltem ex delegatione & commissione. Et ideo non est simile determinatione sensibilibus ceremoniæ, quæ fiebat in lege naturæ, quia institutio

Obicit Scot.

Distinetur obiectio.

stitutio sacramenti vere erat facta à Deo, solum applicatio per hanc vel illam ceremoniam fiebat ab homine tamquam à ministro à Deo deputato, quia in ipsamet institutione relicta fuit indifferens ratio aut motus talis ceremoniæ. Sicut nunc etiam liberum est sacerdoti, cõsecrare in vino albo, aut rubro; quia hoc est indifferens ex vi institutionis talis sacramenti. Vnde illa determinatio non est institutio, sed applicatio talis institutionis ad realem materiam: simili ergo modo fiebat in lege naturæ, hac tantum interueniente differentia, quod indifferens materia: latior tunc erat. At vero in casu de quo agimus, non solum determinatio materiae, sed simpliciter impositio signi, & totus effectus sacramenti esset pendens à voluntate, & potestate eius, qui immediate institueret sacramentum. Quod tandem confirmatur argumento supra indicato, quia non aliter Christus habuit in humanitate sua potestatem instituendi sacramenta, & tamen iuxta modum loquendi Sanctorum & Conciliorum, sectione præcedenti tractatum, non solum, vt Deus, sed etiam vt homo habuit potestatem instituendi sacramenta, & de facto illa instituit.

Non est hac potestas pura creaturæ commissæ.

Quæres, an hæc potestas alicui puræ creaturæ, commissæ sit, si enim est possibilis, cur nemini data est? Videtur enim ad quandam perfectionem, & cõplementum diuinorum operum pertinere, vt per suas creaturas operetur omnibus modis, quibus id fieri potest, & confirmatur, nam quando Christus dixit Apollolis Ioann. 20. Sicut mihi me pater, ego mitto vos, accipite Spiritum sanctum, quorum remisistis peccata, remittuntur eis: videtur eis communicasse similem potestatem, quam ipse habebat, nam eam vim habet verbum, Sicut misit me Pater, ergo ipse habebat potestatem instituendi sacramenta, & remittendi peccata, eo modo quo vellet, ita concessit Apollolis potestatem, quia illa verba sunt generalia & non sunt à nobis limitanda, vt si Rex Prorégi suo diceret, totam potestatem meam tibi concedo, intelligeretur vniuersam dare sine vlla limitatione. Respondetur ex dictis in præcedenti disputatione constare, nullam puram creaturam vsum esse hæcenus hac potestate, quia nec in lege naturæ, nec in veteri, nec in noua, facta est sacramenti institutio per aliquam creaturam, vt ostensum est. Vnde recte inferre possumus, etiam in posterum nullam creaturam vsum aliquando esse hac potestate, quia sicut lex gratiæ vltima est, & vsque ad finem mundi durabit, ita etiam institutio sacramentorum eius vltima est, ac perpetuo duratura, ita vt neque augenda, neque minuenda sint vsque ad finem sæculi. Atque hinc tandem inferimus, nemini datam esse hanc potestatem, quia potestas est propter vsum: ergo, si vsum non fuit vquam, nec futurus est, nec potestas ad illam concessa est. Atque ita Ecclesia, sicut nunquam in se agnouit potestatem mutandi formas vel materias sacramentorum: ita neque augendi, neque minuendi, eorum numerum. Ad obiectionem ergo respondetur, non esse necessarium, omnem possibilem facultatem concedi puris creaturis, præsertim quia diuina omnipotentia & liberalitas, quod ad præsens attinet, satis in hoc manifesta est, quod hanc potestatem humanitati Christi communicauit. Decuit etiam illi soli tribui, tum ob singularem dignitatem & excellentiam eius, tum etiam propter alias congruentias præcedenti sectione adductas. Ad confirmationem respondetur, verba illa Christi intelligenda esse iuxta Ecclesiæ sensum, perpetua traditione receptum, nimirum, eis significasse Christum sacramenti Pœnitentiæ institutionem, atque ita dedisse potestatem ad remittenda peccata, non quomodocumque, sed seruata forma cuiusdam spiritualis iudicij, in quo iuxta merita causæ reus, vel absoluitur, vel ligetur, seu ligatus relinquitur. Quapropter illa particula, sicut, non significat qualitatem, sed similitudinem,

aut imitationem, quod peruulgatum est, ac frequens in scripturis.

ARTICVLVS V.

Verum per malos ministros sacramenta conferri possint.

AD quintum sic proceditur. Videtur quod per malos ministros sacramenta conferri non possint. Sacramenta enim noua legis ordinantur ad emundationem culpæ, & collationem gratiæ. Sed mali, cum sint immundi, non possunt alios à peccato mundare (secundum illud Ecclesiast. 3. 4. Ab immundo quis mundabitur?) & etiam cum gratiam non habent, non videtur, quod gratiam conferre possint, quia nullus dat quod non habet. Non ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri possint.

2. Præterea, Tota virtus sacramentorum derivatur à Christo, vt dictum est. * Sed mali sunt præcisi à Christo, quia non habent charitatem, per quam membra capiti vniuntur, secundum illud 1. Ioann. 4. Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: Ergo videtur, quod per malos sacramenta conferri non possint.

3. Præterea si desit aliquod horum, quod debitum est, esse in sacramentis, non perficitur sacramentum, sicut si desit debita forma, vel debita materia. Sed debitus minister sacramenti est ille, qui caret macula peccati, secundum illud Leuitic. 21. Homo de semine tuo per familias, qui habuerit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet ad ministerium eius: ergo videtur, quod si minister sit malus, nihil efficiatur in sacramento.

SED contra est, quod Augustinus dicit super illud Ioann. 1. Tra. 5. in 6. Super quem videris spiritum, &c. Quid in Christo non nouerunt Ioannes? Potestatem Baptismi, ipsam Dominum habenturum, & sibi reuerenturum, sed ministerium plane transierunt in bonos & malos, quid tibi facit malus minister, vbi bonus est Dominus?

RESPONDEO dicendum, quod sicut dictum est * ministri ecclesiæ instrumenta aliter operantur in sacramentis, eo, quod quodammodo eadem ratio est ministri & instrumenti. Sicut etiam supra dictum est, instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem eius à quo mouetur. Et ideo accidit instrumentum in quantum est instrumentum, qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id quod exigitur ad rationem instrumenti sicut quod corpus medici (quod est instrumentum anime habentis artem) sit sanum vel infirmum, & sicut quod fistula, per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea. Vnde ministri Ecclesiæ possunt sacramenta conferre, etiam si sint mali.

AD primum ergo dicendum, quod ministri Ecclesiæ, neque à peccatis mundant homines ad sacramenta accedentes, neque gratiam conferunt sua virtute, sed hoc facit Christus sua potestate per eos, sicut per quadam instrumenta. Et ideo effectus consequitur, in suscipientibus sacramenta, non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad Christum.

AD secundum dicendum, quod per charitatem membra Christi vniuntur suo capiti, vt ab eo vitam recipiant: quia vt dicitur 1. Ioan. 3. Qui non diligit, manet in morte. Potest autem aliquis operari per instrumentum carens vita, & à se separatum, quantum ad corporis vniõnem, dummodo sit coniunctum per quandam motionem, alter enim operatur artifex per manum, & alter per securim. Sic igitur Christus operatur in sacramentis & per bonos, tanquam per membra viuentia, & per malos, tanquam per instrumenta carentia vita.

AD tertium dicendum, quod aliquid est debitum esse in sacramento dupliciter. Vno modo sicut existens de necessitate sacramenti, quod quidem si desit, non perficitur sacramentum,